



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAE *CONSTAT SANCTUM PATRICIUM* SANCTUS**

**PATRICIUS, EPISCOPUS, PATRONUS**

**APUD DEUM BOSTONIENSIS ARCHIDIOECESIS IN FOEDERATIS**

**CIVITATIBUS AMERICAE SEPTENTRIONALIS CONFIRMATUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Constat Sanctum Patricium, episcopum, qui in Insula Hibernia praecipuus fuit Evangelii praeco, a clero et populo Bostoniensis archidioecesis in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis antiqua et impensa pietate coli tamquam exemplum clarissimum fidei, spei, caritatis atque sanctitatis vitae. Qua re motus, Venerabilis Frater Noster Bernardus Franciscus S.R.E. Cardinalis Law, Archiepiscopus Metropolita eiusdem Ecclesiae, communia suorum fidelium vota excipiens, electionem Sancti Patricii, episcopi, in Patronum apud Deum Bostoniensis archidioecesis rite probavit atque, datis litteris die IV huiusce mensis, petivit ut electio huiusmodi et approbatio iuxta Normas de Patronis constituendis et ad normam Instructionis «de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, ab hac Apostolica Sede confirmarentur. Nos igitur, tam sollertis ac dignissimi Pastoris cupientes preces audire, iis comprobatis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum Sanctum Patricium, episcopum, Patronum apud Deum Bostoniensis archidioecesis confirmamus, cum omnibus iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Quod faustum ac felix sit illi Praesuli atque dilectissimis Nobis in Christo Bostoniensibus filiis inque spirituale eorum omnium cedat bonum. Volumus denique ut hae Litterae Nostrae nunc et in posterum sint ratae, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Octobris, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status* © Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana